

Heinrich Christian Zietz

**De Veneratione Atqve Honore Senibvs Debito Ad Levit. XIX, 32. Viro ... Adde  
Bernhardo Bvrghardi Pastori Petrino ... Annos In Sacerdotali Mvnerē  
Qvinqvaginta Feliciter Exactos Gratvlatvrvs Pavcvla Commentatvs Est**

Lvbecae: Imprimebat Georgivs Christianvs Green, MDCCLXXXVII

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1759227269>

Druck Freier  Zugang





*Liss. theol.*

Landes-Bibliothek  
Rostock i. M.

DE  
VENERATIONE ATQVE HONORE  
SENIBVS DEBITO

AD  
LEVIT. XIX, 32.

VIRO  
ADMODVM REVERENDO ET PRAECLARISSIMO  
ADDE BERNHARDO  
BURGHARDI

PASTORI PETRINO  
SENIORIQVE SACRI ORDINIS  
GRAVISSIMO MERITISSIMO  
ANNOS IN SACERDOTALI MVNERE QVINQVAGINTA

FELICITER EXACTOS

GRATVLATVRVS

PAVCVLA COMMENTATVS EST

HENRICVS CHRISTIANVS ZIETZ

GYMNASII LVBECENSIS PRIMAE CLASSIS  
CIVIS.

LVBECAE MDCCLXXXVII.  
IMPRIMEBAT GEORGIVS CHRISTIANVS GREEN  
MAGNIFICI SENATVS TYPOGRAPHVS.



*.1114. 24.*

*LB Theol 4004 Caps. 7*



Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is largely illegible due to fading and the texture of the paper.

VIII. MA. 24.



VIR ADMODVM REVERENDE AC PRAECLARISSIME  
SENIOR SACRI ORDINIS  
OBSERVANTISSIME COLENDE!

Senes venerari officium hominum esse maximum quum *sim* aliquibus argumentis harum ope pagellarum ostendere conatus, hunc TIBI laborem, VIR GRAVISSIME DOCTISSIMEQVE! et meritis de re sacra Lubecensium DECORATISSIME! omni, qua decet, reuerentia offerre audeo. Quis enim dignior queat esse cultu, quis esse, cui magis, quam TIBI sit gratulandum, qui per quinquaginta annos molestiam omnem sacris muneribus adhaerentem, maxima cum prosperitate, nec sine fructu copiosissimo eorum, qui TIBI erant crediti, pertulisti? Nullus enim ciuium erit nostrorum Lubecensium, qui aliter sentiat; nullus, qui preces offerre negligat DEO, qui non Tua causa clementiam summi numinis imploret, qui non pro Tua Tuorumque salute pia suscipiat vota. Quod idem a me officium haudquaquam omitti, patere, VIR ADMODVM REVERENDE! vt iam reapse declarem. DEVS ergo Tuus TE, Tuamque senectutem et familiam Tuam splendidissimam, vt adhuc, tam largiter splendideque coronauit, ita in posterum quoque omni  
pro-



prosperitatis, honoris et gaudii genere coronare nunquam desinat.  
Donet TIBI annos etiam porro plures, vires ad negotia Tua felicititer exsequenda, senectutem denique omni senectutis incommodo ac vitio vacantem. Det TIBI gaudium cuiuscunque generis ex liberorum felicitate natum, omni meritorum laude florentium, nepotumque in spem adolescentium decusque rei publicae. Cumulet TE postremo nullis non bonis, quae hominum vitam possunt iucundiores reddere beatioremque. Specimen vero hoc deditissimi erga TE animi mei, ut benigno accipias vultu, habeasque me commendatum benevolentiae Tuae, magnis a TE precibus etiam atque etiam peto atque contendo. Hoc me beneficii genere, in dies magis, ubi potero, dignum reddere non omittam. Valeas ergo semperque faueas

TVI

Scribam Lubecae

a. d. VI. Non. Iulii. MDCCCLXXXVII.

studiosissimo

H. C. Z.



Caelestis ille et summus legislator DEVS ter optimus maximus, qui est omnium sanctissimus, iustissimus, sapientissimusque, cuius leges morales ad nos omnes etiamnum pertinent, in iis non modo praecepit ea nobis, quae sancta, iusta, bona et aequa sunt, sed et, quae ad veram honestatem decusque inprimis pertinent. Qua de causa omnes gentes sapientiam, qua mandata diuina pollent, admirari tota mente coguntur, confiterique, nullum inueniri populum, cui sint eiusmodi leges, quae cum hisce conferri atque comparari queant. Deut. IV. 6. 8.

Quod quidem encomium sane non iis tantum conuenit legibus, quas *naturales* dicere consueverunt, quia statim illae ac palam produnt suam cum rerum natura conuenientiam, sed etiam his, quae *positiuarum* nomine insigniuntur, eo quod a voluntate Domini nostri pendent, qui seruari eas voluit pro summo suo in homines iure, quae deinde distingui solent in *ceremoniales*, id est, eas, quae res continent sacras earumque ritus, et in *politicas*, quae ciuilem Iudaeorum statum definiunt gubernandique rationem. Nec vero minorem postulant admirationem illae, quas in quarto quodam genere reponunt, *mixtae* scilicet leges, quae, si, quod *uniuersale* nominant legum, ac materiale, spectes, ad naturales referri merentur, sin vero *singulare*, quod et formale dicunt, consideres, tantum in legislatoris positae sunt voluntate, etiamsi sanctissimus ille legum conditor supremus in iisdem saepe numero mores quoque nationum, inter quas Abrahami progenies vitam degit, sequutus est.

Huius generis et illam cenfeo esse legem, quam mihi nata occasione iucundissima, quam SENEX praebuit, non annis magis, quam amplitudine meritorum venerabilis, proposui pro virium imbecillitate, sed animo tamen laetissimo pioque gratulandi studio, considerandam, scilicet istam, in qua de *iusto senes venerandi officio* exponitur, quamque Levit. XIX, 32. inuenimus. Qua quidem in re hunc obseruabo ordinem, vt primum aliqua, quae faciant ad explicationem loci ipsius, asseram, deinde praeceptum, quatenus morale potest dici atque positium, rationemque illi additam paullo accuratius definiam, et denique nonnulla e gentium consuetudine moribusque desumpta, illustrationis causa, minime licet fatura lance, subiungam. Quem iuuenilem laborem, vt humanissimi lectores aequo animo ac benigne diiudicent, enixe rogo.





Inter caetera praecepta, quae ad naturae legem pertinent, hoc sane maximi est ponderis, licet saepe nimis ab hominum leuitate spernatur, quod DEVS nobis his proposuit verbis: *Cano assurgito, seni honorem habeto; Deumque tuum reueretor. Jehouah sum.* Credo equidem non alienum fore, si hunc locum et graece ex ea descriptione, quae septuaginta virorum versio dicitur, et latine ex hac, quae nominari solet vulgata, subnectam. Graeca igitur illa haec sunt: *Ἀπὸ προσώπου πολὺς ἰξανασήση, καὶ τιμήσεις πρόσωπον πρεσβυτέρου, καὶ φοβήσῃ τὸν Θεὸν σὺ· ἐγὼ Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν.* Latina vero ista: *Coram cano capite consurge et honora personam senis, et time Dominum Deum tuum, ego sum Dominus.* Nam germanice, quibus haec eadem beatus Lutherus reddidit, quia per se sunt vnicuique fatis nota, prudens omitto.

Nunc paullo vberius quaedam, quum de argumento loci, id est, de eo, quod generatim ibi particulatimue spectari meretur, aliisque momentis, quae hisce verbis explicandis inferuiunt, differam.

Primo igitur loco summus atque diuinus posuit legislator illud, quod non de genere toto venerandi senes, verum de modo quodam atque parte intelligendum est, *מפני שיבה תקום* *coram canitie* siue homine canitie albescente, *surgas*; ac deinde, quod generatim eo spectat, addit *וקן והדרת פני וקן* *et honores faciem* siue conspectum atque personam *senis*; causamque duplicem subdit, qua quisque permoueri ad eam possit et impelli, alteram; *ויראת מאלהך* *et timebis Deum tuum*, nisi quis hoc modo malit latine reddere: *et timeas Deos*, id est, imperantes tuos; quod quidem, si cui libeat, per verba quoque licere, paulo post breuiter ostendam; alteram: *אני יהוה* *ego sum solus Jehouah*, summus et immutabilis Deus, qui fui ab aeterno, sumque semper, nec vnquam esse desinam.

Sic igitur, quod *generatim* notandum indicabam, hoc est: *honora personam senis*, nempe personam senis honorandam esse, in quo sermone (liceat enim, sicuti mos in scholis est, loqui), subiectum est senex *וקן*, praedicatum *והדרת*. Quibus quidem duobus in verbis non satis declaratur, quisnam sit ille, qui dicatur *senex*, vtrum aetate caeteris an scientia sit artibusque prouectior, sed tamen generatim res de maioribus et aetate et dignitate potest explicari. Hebraeorum enim *וקן* duplici adhibetur significatione, quandoquidem denotat modo *senem aetate*, quum virum Gen. XVIII, II. XXVII, I. tum feminam Prov. XXIII, 22. coll. Zach. VIII, 4. modo *maiozem dignitate* vel aestimatione, quod ante oculos habuisse Chaldaicus quoque



quoque interpres videtur, qui verba tria priora ita explicat: *A facie eius, qui doctus est in lege, surgas*; nosque praeterea probare possumus ex isto magistrorum effato Judaicorum: *Senex, non est senex, nec ut senex honorandus, nisi sapiens*; modo *superiorem* aliquem et *praepositum* vel sacerdotali ordini, vt 2 Reg. XIX, 2. Jef. XXXVII, 2. vel administrationi reipublicae, vt Num. XI, 16. Deut. XIX, 12. 1 Sam. XV, 30. vel domesticae societati, vt Gen. XXIV, 2. Vid. *Seldenus de Synedriis*. Hoc igitur de duobus illis verbis valet. Vocabulum vero, quod praecesserat, **שיבה** *canities*, primam earum significationum, quas recensebam, loci huius esse satis edocet. **שיבה** enim pro **שיב** **איש** **שיבה**, cano sene, ponitur Deuter. XXXII, 25. Lev. XIX, 32. hisque utitur verbis *Kimchius*, teste *Buxtorfio*: *Canities plus est, quam senectus*, et in *Capitulis patrum c. 5.* legitur: *Filius sexaginta duorum annorum ad senectutem, filius septuaginta annorum ad canitiem peruenit*, vt nemo facile posse videatur de sententiae nostrae veritate dubitare. Conf. *Cartwrighti Mellific. hebraic. ad h. 1.* Neque est, quod faciamus cum interpretibus illis, qui, vt Chaldaicus ille, quem paullo prius citauimus, doctiorem aliquem caeteris aut sapientiorem intelligendum esse existimant.

Praedicatum Seni iungitur, quod eum indicat honorandum siue omni cultus genere prosequendum esse. Hebraice est: **והדרת פני זקן**. Nos vero addere plura super sedemus, quia, quid sit honorare, scimus omnes.

Hoc igitur de honorando Sene dicitur *uniuerse* atque generatim. Sed *magis proprie* modus etiam indicatur honorandi: *Cano capiti assurge*. Vbi de subiecto **שיבה** quum sit antea dictum, accedo statim ad praedicatum **הקום**. Est autem **קום** ex eo genere verborum, quae variam habent multiplicemque significationem. Denotat enim *stare, existere, surgere, exsurgere, insurgere, assurgere* Gen. XIX, 1. Esth. V, 9. Pf. CXXXIX, 2. Atque illud insurgere vel assurgere amicitiae pariter atque inimicitiae causa fieri solet. Sed additum illud alteri praecepto, quod huic subiungitur, **והדרת** satis ostendit, ex sententia legis praecipui cultus et honoris causa esse surgendum. Job. XXIX, 8. **הדר** enim idem quoque esse, quod *honorauit, reueritus est*, neminem fugit linguae peritum.

Cultus autem ille, quo prosequimur senes, non modo surgendo, sed aliis etiam interioris animi signis proditur externis. Quia vero hoc modo facillime caeteris reuerentiam nostram declarare possumus, et apud omnes propemodum gentes, illoque tempore, quo Deus hanc legem ferebat, maxime inter populos Orientales hoc signum honoris esse putabatur, quum quis  
alteri



alteri assurgeret, etiam ille his modum istum praecepit honorandi. Commendatur ergo assurrectio in honorem senis cuiuslibet appropinquantis.

Sed quum accidat interdum, vt seniles anni morositatem aliquam debilitatemque afferant, variasque corporis atque animi calamitates, facile fieri potest, vt a iunioribus, qui officium erga senes non satis probe norunt, aut etiam spernunt, irrideantur seniores, atque negligantur. Ne quid vero ita peccetur, addit Deus: *et reuerere Deum tuum*, vt omnes diuino quodam horrore perterrescant, neque omittant colere grandaeuos, neque incurrant Dei poenas, vt pueri quondam, qui, quod irriserant Elifaeum prophetam, ab vr̄sis lacerati sunt. 2 Reg. II, 23. Minatur enim summus ille legislator iis omnibus poenam, a quibus, quotquot aetate sunt prouectiores, non satis digno in pretio habentur. Thren. IV, 16. Constat praeterea, vocem *Elohim* nonnunquam de ipsis hominibus adhiberi. Verbum enim אלהים deriuari solet ab אלה coluit, veneratus est, adorauit. Et quanquam sensu magis proprio denotat adorandum numen, idemque essentia vnum, sed personis manifestatum tribus, haecque significatione in sacro codice frequentissime gaudet, non denegandum tamen est, vocabulum hoc significare amplius praeter angelos, Ps. VIII, 6. XCVII, 7. etiam homines dignitate praestantiores, praecipue principes, et qui magistratum gerunt, Exod. XXI, 6. XXII, 28. Ps. CXXXVIII, 1. e. c. Mosen, Ex. IV, 2. 6. VII, 1. et Samuelem, 1 Sam. XXVIII, 13. *Caietanus* idcirco arbitrat, verba haec, quae interpretamur, ita esse intelligenda, vt homines Iudicibus quoque honorem tribuere debeant, senes quidem omnes placide tractent, Indices autem excipiant cum aliquo timore. Ergo huic commati triplex inesse mandatum, putat, 1. assurgendum esse senioribus, 2. aestimandos eos esse. 3. non sine timore aliquo adeundos. Sed quia priora duo praecepta per Atnach separantur ab infrequentibus his verbis, quae a *Caietano* pro tertio quodam praecepto habentur, videntur ista rectius pro ratione legis, quam pro lege reputanda esse.

Et maximum addunt praecepto pondus haec verba: *Ego sum Dominus*, a quo tota vestra salus pendeat, qui vobis ista mandauerim, quique obsequium erga me vestrum remunerari, poenas e contrario infligere iis velim, qui neglexerint mea praecepta, qui denique, quum honore omnibus antecedam, post me iubeam his praestari quendam praecipuum cultum, qui caeteris aetate sunt sapientiaque superiores. Ex his igitur verbis clarius apparet sole meridiano, praeceptum hoc maximi esse momenti, debereque ab hominibus omnino omnibus, cuiuslibet ordinis dignitatisque, seruari.

Sed




Sed quum antea dixerim aliqua de vario significato Hebraici vocabuli  $\text{זקן}$ , non incongruum fore videtur, si de vario sensu, quem soleat huic respondens vocabulum in caeteris quibusdam linguis habere, nonnulla differam. Apud *Latinos* igitur *senex* non semper ille dicitur, qui sit plane decrepitus, et silicernium, sed, vt apud nos moris est, quilibet, qui iam sexaginta sit natus annos. Quid quod apud Romanos etiam ii senes nominabantur, qui quadraginta sex annos vixerant, teste AVLO GELLIO X, 28. De Carthaginien- sibus vero Hannibal se senem appellat apud LIVIVM XXX, 30. qui tum XLIV annos erat natus, vt ex *Polybio* constat. *Seniores* praeterea *Varro* apud CENSORIVM de die natali c. 15. illos tradit appellitari, qui in aetatis quo- dam gradu quarto, sed infra sexagesimum annum sint constituti, quod senescere id aetatis incipiat corpus, atque inde vsque finem vitae vniscuiusque quin- tum gradum esse factum, in quo qui essent, *Senes* vocatos, quod ea aetate corpus iam senio laboret. *Senior* ergo, auctore *Varrone*, inferiorem ae- tatis gradum, *Senex* maiorem denotat.

*Senior* autem est quoque dignitatis nomen, quod tribuitur illis, qui non semper annis antecellant caeteris, sed qui honore, auctoritate, atque digni- tate praecedant. Sic in sacro codice *Senior* saepe ponitur pro *Judice*, Num. XI, 16. et *Praeposito* vel *Antisite*, Matth. XXVI, 3. XXVII, 1. et in ordine sacerdotali *Senior* atque *Presbyter* appellatur is, qui caeteris praeest, propter maiorem experientiam sapientiamque. In ciuili etiam statu multi *Seniores* nominantur, qui non annis omnino collegis antecedunt, sed qui quendam altiorem honoris gradum adepti sunt. Cuius rei exemplum prae- bent in republica etiam nostra viri multi, qui in suo quisque collegio ac tribu *Seniores* vocantur, etsi saepenumero sint iuniores caeteris, aut certe non maximo natu.

Etiam Graecum  $\text{πρόεδρος}$  notat interdum *principem*, sine *regem*, et caeteros, quibus conceditur honor eiusmodi, quem senibus iure suo con- cedi oportet, teste *Hesychio*: nec minus in Epigrammat. *Senatorem* atque *Legatum*. Quae quidem significatio postrema ex prima et magis propria videtur esse orta, quia munus legationum senibus olim conferri solebat. Interdum eum quoque designat, qui dissidia componit altercantium, aut pro aliis deprecatur, quem vulgo *mediatorem* atque *intercessorem* vocant.

Ac propter sapientiam, qua sunt praediti senes, apud Romanos sine dubio *Senatus* nomen a *senibus*, quibus constabat, accepit. CICERO de Senect. VI, comm. 19. 20. Et apud Lacedaemonios collegium hoc, quod regi affidebat,  $\text{γεγραία}$  appellabatur, ἀπὸ τῶν γεγράτων, qui potior eius





pars erant. *Τέπων* autem Graecorum deriuatur, vt volunt, a *γέρας*, quod significat *decus* et *honorem*. PLVTARCHVS *Sympos.* III, qu. 3.

Multis etiam in linguis nomen, quod est *Senior*, idem, quod *Dominus*, apud scriptores medii aevi Latinos, Caroli M. circiter aetate, denotat, quemadmodum Gallorum *Seigneur*, Itolorum *Signore*, Hispanorumque *Senor*, quae verba deriuata, vt videre est, a senioris nomine latino, designant eosdem, quos barbari aevi latinitas dominos vocabat.

Iam vero in omni fere praecepto, quod Deus hominibus proposuit, inuenitur, quod ad mores hominum, siue, vt cum scholis loquar, ad *morale* spectat; quod quidem in hoc mandato, de quo agimus, illud est, officium esse, vt veneremur senes, et praecipuo quodam honoris cultu prosequamur. Possumus autem honorare illos, quum interiori animi reuerentia, tum factis quoque ac gestibus externis. Animi vero sensus internus ostendit sese variis modis, quorum aliquos hic breuiter iam recensebo. Pertinet enim huc dignior quaedam de senibus *aestimatio* Lev XIX, 32. Eccles. VIII, 7; quae quidem effata, vt et alia sacri codicis, in quanta senes apud Deum dignatione sint, satis ostendunt; deinde *amor* illorum 1 Tim. V, 1. nam iuuenum aliorumque dilectione leuior fit senectus; nos vero senibus multas rerum notitias, variaque consilia et sapientissima debemus, quae nempe melius hi caeteris longiori freti experientia et vsu diuturniori, suppeditare potuerunt; ideoque nostrum est, vt *eorum sequamur monita et exempla* 1 Petr. V, 5. Vt enim nauigaturo is, qui prior antea mare tentauit, iterque longinquum inter varia rerum discrimina confecit, salubriter, si quis alius, praescribere, quid facto sit opus, et monita recta potest dare, sic in vnumquemque, qui vitae instituire vult iter, a maioribus natu prospera multa et aduersa, hinc noxia, hinc vtilia expertis, in omni nempe factorum varietate iactatis, ea non possunt non subinde proficisci, quae vera viuendi praecepta et optima in vtramque partem consilia nominanda sint. Denique, quum suis calamitatibus et genere multo infirmitatum nulla careat senectus, cuiuslibet adolescentis est, senum *subleuare* onus et imbecillitatem omni modo, idque agere obsequio, studio, pietate, obseruantia, vt videant, ab illo se magni fieri, quaeque dulcia, iucunda, grata sibi sint, non sine voluptate prospici, adduci, effici, afferri.

Quod quidem vt ipsum clarius appareat, externis praecipue signis atque factis declaranda reuerentia est. Quae quum variis possit ostendi modis, tum  
apud



apud omnes fere populos, et illo maxime tempore, quo mandatum hoc primum a Deo proficiscebatur, apud Hebraeos et vniuersas Orientis nationes id fuit in vſu, vt ſenioribus honoris cauſa, *aſſurgerent*. Idque ex aliquot auctorum locis licebit, vt probem. Tradunt enim *Hebraei*, quoties aduen- tet ſenex, eſſe ſurgendum, quum adhuc quatuor cubitorum ſpatio diſtet: mox autem, vbi tranſierit, denuo conſidendum, vt appareat, hoc eſſe factum in ipſius honorem. CICERO *de Inuent.* I, 30 teſtatur, communi omnium gentium more comprobatum eſſe, vt *maioribus natu* a minoribus *aſſurgatur*. ARISTOTELES *Ethic.* IX, 2. tradit, reddi debere omni ſeniori honorem pro aetate, aſſurgendo et ſede cedendo. PLATO *Dial. IX. de legibus, et IV de republica*, praecipit, vt quilibet ſeniorum re et verbo colat, ſi vel viginti annis ille ſit maior, taceat coram eo, cedat locum, aſſurgat. HERODOTVS I. II. *i. e. Euterpe*: Apud *Aegyptios*, inquit, iuniores maioribus natu obuii facti cedunt de via atque deſectunt, nec non aduenientibus illis e ſedili aſſurgunt. PLVTARCHVS *in inſtitutis Laco- nicis*: Καὶ τὰς νεῖς δὲ, inquit, ἔ μόνον τὰς ἰδίαις αἰδέσθαι πατέρας καὶ ὑψηλοῦς τέλει εἶναι, ἀλλὰ πάντας τὰς πρεσβυτέρους ἐντρέπεσθαι, καὶ ὁδῶν ὑποχωρῆντας, καὶ καθέδρας ὑπεξισταμένους καὶ παροῦσιν ἡσυχάζοντας. *Telecrus*, apud PLVTARCHVM *in Apophth.* reſpondet: moris eſſe apud ſuos, maioribus minores natu aſſurgere: et in eiusdem libris, et apud CICERONEM *de Senect.* 18. comm. 63. iuuenimus narrationem de Sene, qui ludis Olympiacis intereſſe cupiebat, quique, quum omnia ſub- ſellia iam eſſent occupata, ſedem ſibi quaerens irridebatur, ei nemine cedente. Tandem veniebat ad ſedes Lacedaemoniorum, et ſtatim omnes iuuenes atque multi viri aſſurgebant, locumque deſerebant. Quumque Graeci omnes aſſenſum plauſibus laudibusque declararent eximiis, ſenex quaſſans caput: O infortunium, inquit, quod omnes Graeci id, quod bonum eſt, ſciant, ſoli vero Lacedaemonii id exerceant! Lepide etiam Laco quidam, quum viros ſellis curulibus pro more videret inuehi: Abſit, in- quit, hic vt conſideam, vnde aſſurgere nequeam ſeni. PLVTARCHVS *in Lycurgo*. Sic et PHOCYLIDES *ποίημα νεθαιτικόν* 212 ſqq.

Αἰδέσθαι πολιορκιάφους, εἴκειν δὲ γέροντι

Ἐδῆς, καὶ γερῶν πάντων γενεῇ δ' ἀτάλαντον


Πρέσβον ὁμήλικα πατρὸς ἴσαις τιμαῖσι γέροντι.

et IUVVENALIS *Sat. XIII*, 54 ſqq.

B 2

Crede-





Credebant hoc grande nefas, ac morte piandum,  
 Si iuuenis vetulo non assurrexerat, et si  
 Barbato cuicumque puer. — —  
 Tam venerabile erat praecedere quatuor annis,  
 Primaque par adeo sacrae lanugo senectae.

Praescribit etiam *BENEDICTVS regul. c. 63.* quum de congregationis ordine disserit, vt transeunte maiore minor surgat et det ei locum sedendi, nec praesumat iunior confidere, nisi ei praecipiat senior ipse. Alter vero Graecorum pater Monachorum *BASILIVS de abdic.* inculcat, vt coram natu maiore nullus assidere festinet, quumque, vt id faciat, forte iubeatur, in eadem cum illo sella non sedeat, sed huc et illuc diligenter oculis circumspiciat, ad sedem quandam sibi inueniendam humiliorem. In *Historia denique generali Itinerum* Vol. V. p. 531 in itineris narratione *Laurentii Langii in Chinam* anno 1717. haec inueniuntur verba:

*Die Russischen Botschafter und die Jesuiten wurden in den innern Hoff des Kaiserlichen Pallastes zu Peking gelassen, dem Kaiser unter den Mandarinen vom ersten Range Glück zu wünschen. Unter denen vom dritten Range befand sich einer, der am Neujahrstage gleich hundert Jahr alt, und schon in dieser Würde gewesen war, da die Tartarn China erobert hatten. Der Kaiser liefs diesem durch seinen Kammerdiener melden, er sollte die Ehre geniessen, in die Halle gelassen zu werden, und daselbst seiner Maestät Glück wünschen. By seinem Eintritte würde der Kaiser ihm die Gnade erzeigen, von seinem Throne aufzustehen; er sollte sich aber erinnern, dass solches seines Alters, und nicht seiner Person wegen, geschähe. Plura de assurgendi more, tanquam signo honoris collegit de la Cerda in Commentario ad Virgil. Ecl. VI.*

Vnde vero sit orta haec assurgendi consuetudo antè senes, plurimas possem indicare rationes, quarum instar omnium sola illa fit: quia Senes quasi magistri sunt atque praeceptores caeterorum, et quod olim magistri sedebant, discipuli vero stabant ante eos et eorum praeceptis aures accommodabant. Quare Theodosius Imperator iussit filios suos adstare coram Arsenio magistro, dum doceret, quumque sedentes aliquando deprehendisset, grauitè obiurgauit illos. *NICEPHORVS l. XII. 13.* Auditores etiam stantes concionem audiisse, colligitur ex *AVGVSTINO tract. 112, in Ioann.* atque de Constantino ipso Magno narrat



narrat idem EUSEBIUS *in vita eius* IV, c. 53. Referi huc quidem posset monitum ex libro *Ecclesiastici* VI, 35. ἐν πλῆθει πρεσβυτέρων ᾤθη. Sed ἰσημι etiam significat praeter stare, versari, adesse, praesentem esse et habitare.

Ad signa caetera, quibus possumus reuerentiam senibus ostendere, hoc pertinet, quum nudamus caput, atque subsistimus, dum transeant, qui apud nos viget mos, vel, quando fit, quod Romani facere solebant, qui, quum obuiam forte venerant senibus equo vecti, desiliebant statim, vt eos oscularentur, dextramque dextrae iungerent, atque alias, praetereuntes, caput, si veste iniecta tectum haberent, statim aperiebant.

Sed haec haecenus. Causae sequuntur, quibus debemus impelli, vt colamus cuncti senes magnique faciamus.

Prima igitur eademque maxima et grauissima est ipsum *Dei mandatum*, quod multis in sacri codicis locis clare exprimitur, et praecipue Lev. XIX, 32. I Tim. V, 1. Sir. VIII, 7. Ipsa enim summi Numinis veneratio impellere nos debet ad honorandos etiam senes. Quotus enim quisque Deum timet, eum oportet illorum quoque studiosum esse cultorem, quos Deus ipse magni facit, atque caeteris in pretio voluit haberi.

Nec minus vero nos ipsa *Senectus* in primis excitat, vt honoremus senes, quia vel instinctus, nescio quis, ipsius quemque naturae, modo non barbarum et immanem, solet ad eam rem adducere. Nam vel sola canities homini est decora, per seque honorabilis, quae nobis timoris quendam amorisque sensum infundit erga senes, ideoque vocetur etiam a *Salomone* Prov. XX, 29. *honor atque maiestas* senum. Non equidem operosius laudem exsequar senectutis, quam rem iam ante me data opera egerunt *Cicero*, *Plutarchus*, alique multi, quum veteres, tum recentiores. At enim donum profecto praecipuum summi Numinis est senectus, quam coronam piorum hominum fore promittit DEVS, Deut. IV, 40. Ps. XCI, 16. quam ideoque senum coronam diserte ac saepe nominat sacer codex, vt Prov. XVI, 31. Quibus vero DEVS ipse testimonium perhibet pie peractae vitae, quosque non aliam ob causam sibi gratos esse dicit, ac sua mercede afficit, ii sane reuerentur, vt ab hominibus quoque in primis colantur. Sed eosdem DEVS ita quoque honorat, vt senis induere personam ipse dignetur, quando in vtriusque foederis locis, vbi apparet quasi in consilio iudicium sibi adstantium, patitur se nominatim senem dici Dan. VII, 9. 22. Apoc. IV, 4. Es. III, 14. XXIV, 23; poenam e contrario minetur illam Israelitis quibusque refractariis I Sam. II, 31. 32. in eorum domo nullum senem futurum esse in saeculorum omnium



perpetuitatem. Dixi superius de poena puerorum, qui Elifaeo prophetae suam caluitiem per ludibrium obiecerant. 2. Reg. II, 24. Sed maior omnino veneratio huic senili debetur aetati, quando ad eam peruenerunt viri praeter caeteris virtutum nomine laudandi. Quam multi enim sunt, qui sibi Nestoris expetant annos, praesertim, si res iis ex voto fluunt! Attamen quam pauci reperiuntur, quibus via recta et vnice laudabilis patuit ad longaeuitatem, qui quidem eo magis ob hanc causam colendi sunt. Inde tot veterum auctorum testimonia de veneratione senectuti debita, quorum ne nimis cumulare videar multitudinem, contractiorem aliquam sarraginem asseram. ARISTOTELES *Ethic.* IX, 2. Omni seniori, ait, honor pro aetate reddendus est, assurgendo et de sede cedendo. Idem sere docet PLATO *Dial. IX. de legibus* e. m. Basileae p. 602. Πᾶς ἡμῶν ἀιδέσθω τὸν ἑαυτῆ προσβύτερον ἔργω τε καὶ ἔπει. et CICERO *Offic.* I, 34. vbi: *Est adolescentis, inquit, maiores natu vereri.* PLUTARCHVS: Quemadmodum homini lex diadema et coronam, ita natura canitiem, tanquam praecipuae dignitatis symdiabolum, imponit. PHOCYLIDES, l. c. Αἰδέσθαι κ. τ. λ. Atque ista quando contingunt maioribus natu, leuiores fiunt iisdem senectutis incommoda, ipsaque senectus gratior, quando se a minoribus non sperni vident, sed omni honore cumulari. CICERO idem affirmat hoc in libro *de Senectute* IX, comm. 23, dum his vtitur verbis: *Quid est iucundius senectute, stipata studiis iuuentutis?* et c. VIII, comm. 26. *Adolescentibus bona indole praeditis sapientes senes delectantur, leuiorque fit eorum senectus, qui a iuuentute coluntur et diliguntur.* Quid quod senectus magnum est ac forte munimentum aduersus malorum hominum insultus, teste PLUTARCHO de *Solone, in eius vita*, e. m. Tom. I. p. 96. Τῶν πολλῶν, inquit, ὑπετένων αὐτὸν (Σόλωνα), ὡς ἀποθανέμενον ἀπὸ τῆ τουργίας (Παισιργίας), καὶ πυνθανομένων τίνι πεισέων, ἕτως ἀπονοεῖται, τῷ γήρα, εἶπεν.

Nec minus venerationem senes merentur ob *experientiam*, quae ipsis ab usu longioris aeni obtigit, et ob spectatam, quae nasci ab illa solet, *sapientiam, prudentiamque*, quam intuens OVIDIVS *de arte amandi* III, 675. sic canit:

Adde quod est illis (senilibus annis) operum prudentia maior  
Solut et artifices qui facit, usus adest.

Experientiam praecipuum peculiareque senum proprium esse, nemo vocabit in dubium, qui cogitauerit, quam multa atque varia viderint per tam diuturnum temporis annorumque decursum, quas res, quibus interfuerint, sibi nota-



notauerint, quas item partim ab aliis fieri audierint, partim ipsi fecerint, quid ipsis, quid aliis utile, quid foedum inceptu, foedum fuerit exitu, quid agendum, quid omittendum esse, ex suo aliorumue vel commodo vel damno perceperint, quam vana essent omnia, quam fluxa, quam caduca, comprehenderint, quae fieri saepius, quae nunquam, aut rarius in hominum societate, animaduuerterint, quid magis aut minus fecerit ad cuiusque felicitatem, qui tot hominum fuerint mores, quae consilia, quae facta, quae vel secunda tam multis acciderint, vel aduersa, quae vel merentibus vel immeritis usu venerint vel bona, vel mala, quatenus denique quibusnam hominibus aut recte successerint aut secus, idque quibus auxiliis, quibus ex causis, quonam tempore. Quae tot numero rerum atque tantarum experientia quum destituti sint adolescentes, instructi vero senes, mirumne potest esse cuiquam, ab his in illos, in caeteros, in semet ipsos consilia saluberrima proficisci solere ac redundare? Quocirca HOMERVS *Odyss.* II, 313. Telemachum inducit ita loquentem:

Ἐγὼ δ' ἔτι νήπιος ἦα

Νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας εἰμι, καὶ ἄλλων μῦθον ἀκούων,

Πυνθάνομαι, καὶ δὴ μοι αἰετίζεται ἔνδοθι θυμός.

PLATO autem *de legibus* IX, p. 602. Ὡς ἐν χρῆ, inquit, πάντα ἀνδρα καὶ παῖδα καὶ γυναῖκα αἰεὶ διανοεῖσθαι τὸν πρεσβύτερον, ὡς ἔσμι κρῶ τῶ παλῆρος ἔστι, πρεσβευόμενον ἐν τε θεοῖσι καὶ ἐν ἀνθρώποις τοῖς μέλλουσι σωθῆσθαι καὶ εὐδαιμονεῖν.

MENANDER.

Εἰ τ' ἄλλ' ἀφαιρῆν ὁ πολὺς ἔωθε χρόνος

Ἡμῶν, τό γε φρονεῖν ἀσφαλέςτερον ποιεῖ.

EURIPIDES in *Phoenissis*. 531 sqq.

— Οὐχ ἅπαντα τῷ γῆρας κακὰ,

Ἐτεοκλέες, πρόσεσιν ἄλλ' ἢ μπειρία,

Ἔχει τι δεῖξαι τῶν νέων σοφώτερον.

ANTIPHANES

Σοφὸν γε τοῖ τι πρὸς τὸ βυλεύειν ἔχει

Το γῆρας, ὡς δὴ πολλ' ἰδὸν τε καὶ μαθόν.

STOBAEVS: γῆρας λέοντος κρεῖσσον ἀκμῶν νεβρῶν et aliud prouerbium:

γέρον ἀλώπηξ ἔχ ἀλίσκεται πάγη, quorum locorum explicacionem vid. in *Erasmii Epit. Adag.* e. m. p. 179. et 512. Huc et referri potest fabula AESOPi de mustela fene, quae mures, quum vi capere non possit,

dolo



dolo capiebat atque deuorabat. OVIDII quoque *Metam.* VI, 28. haec verba sunt:

Non omnia grandior aetas

Quae fugiamus, habet, seris venit vsus ab annis.

CICERO autem in libro *de Senect.* VI, comm. 20. *Temeritas*, inquit, est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis, item VIII, comm. 26. *Adolescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur*, nec minus *Offic.* I, 38. comm. 122. *Ineuntis aetatis inscientia senum constituenda et regenda prudentia est.* Apud LIVIUM IV, 13. sic loquitur quidam: *Undique plus in illo senili animo non consilii modo sed etiam virtutis est.* Et HESYCHIVS recte annotat: Bonum esse quidem et eum, qui iam ad canitiem peruenit, honorare. Habet enim, addit, tempus amplius procul dubio ad prudentiam, &c. Qua quidem de causa Senes potissimum adhibebantur olim ad gerendam rempublicam. Graeci enim, et in his praecipue Spartani, veluti postea Romani, non nisi senibus dignitatem vel senatoriam vel consularem deferre consueverant. Inde OVIDIVS *Fastor.* V, 63. sqq.

Non nisi post annos patuit tunc curia seros

Nomen et aetatis mite Senatus erat.

Iura dabat populo Senior, finitaque certis

Legibus est aetas, vnde petatur honos.

Apud eosdem Romanos autem Lacedaemoniosque Senatum et *γερουσιαν* nomen accepisse a senibus hinc e CICERONIS loco *de Senect.* VI. quem superius adduximus, hinc e *Cragii* libris *de republica Lacedaemoniorum* p. 109. patet. Inde fit etiam hodierno tempore, vt multis in ciuitatibus non nisi senes in re dubia, quaeque paullo difficilior sit explicatu, sententiam dicant. Et FLORVS II, 6. *Quid in eligendis magistratibus*, inquit, *quae centurionum sapientia, quum iuniores a senioribus consilium de creandis consulibus petiuere?* Imitari enim quodammodo solent senes Deum, qui sapientissimus est omnium, quia sapientia caeteris praestant propter vsu longiorem atque maiorem experientiam. Iob XII, 12. Sir. IV, 7. XXV, 6. Et DEVS ipse Mosi mandatum hoc dedit Num. XI, 16. vt septuaginta viros eligeret senes, Israëlitarum gubernatores, minatusque est Ies. III, 2. poenae loco, senes ex populo se esse adempturum, daturumque refractariis pueros principes. Cuius rei exemplum potest esse historia de Rehabeamo I Reg. XII, qui, quum sperneret seniorum consilia, sequeretur vero iuniorum, damnum fecit maximum. Nostrum ergo est, sapientissimis seniorum uti monitis, ma-

xime



ximeque iis adhaerere et in eorum esse societate, quod laudat CICERO de M. Coelio, in *Orat. pro eodem*, c. 4. comm. 9. et de se ipso in *Laelio* c. I. item L. II. *Offic.* c. 13. comm. 46. *Facillime*, ait, et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros bene consulentes reipublicae, contulerunt; quibuscum si frequentes sint, opinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum.

His etiam adiungam *Senum merita*, quorum copiam caeteris maiorem prae se ferunt. In omni enim vitae curriculo tam multifaria, tamque praestanti aucti sunt experientia, tam multa viderunt atque fecerunt, tam varia consilia et opera ediderunt, vt certe etiam his meriti sint de hominibus maxime. Quaenam quae multitudine negotiorum senibus in omni parte vitae, in omnibus locis aetatibusque, iuuenili pariter ac virili, tradita fuit exsequenda! Ideoque efficere possunt, quae sunt maxima, quippe sapientia prudentiaque praediti et plerumque maiorem afferunt vtilitatem reipublicae, quam ii, qui ditiores eam reddunt potentioremque. Senum profecto, quorum in rebus agendis effluxit aetas, qui tantopere valent ad formandas hominum mentes, ad excitandos illos ad pietatem Deique reuerentiam et ad bene agendum, quum admonendo tum consolando quoque, potiora sunt sine dubio merita, quam caeterorum. Caeteri enim commoda ea quaerunt, quae videntur tantum ad breue tempus profutura: illi e contrario procurant bona, quorum effectus non in hac vita modo, sed etiam in omnem saeculorem aeternitatem, feliciores mortales reddunt, atque beatiore.

Merentur ergo senes summo iure *bonorum omnium amorem*, studiumque nunquam defatigandum. Quisquis enim gratam non penitus deposuit mentem, certe diligit eos, a quibus et nemo fere non plurima accepit commoda. Quorum vero merita tam sunt publica, quam senum? Quamquam enim sunt, qui tot ab iis profecta beneficia spernant, certe tamen, quotquot bona sunt indole praediti, magni facient eos et summo in pretio habebunt.

Maior et eam ob causam iis debetur honos, quia saepe numero *parentum vice funguntur* apud plurimos. Vt enim parentes liberis suis consilio atque exemplo seruiunt, quia maiorem, quam hi, prae se ferunt sapientiam, ita senes non tantum iuueni cuique, sed et adultiori ac viro possunt ostendere, quae calcanda, quae cauenda sit via, quibus modis facillime metam sibi propositam possint attingere. Iidemque his indicant data occasione, quid peccauerint, quid fecerint damni, quid vel agendo vel omittendo deliquerint, vt melius in posterum cautiusque mercentur, magisque reliquo tempore sine labe viuant.

C

Senio-



Senioribus enim ius esse iunioribus imperandi, docet PLATO *Politic.* V, p. 419. et CICERO, in libro *de Senect.* XVII, comm. 60. Apud Lacedaemonios hoc moris fuisse, ab ipsoque Lycurgo ita esse institutum, patet ex XENOPHONTE *de republ. Laced.*, PLVTARCHO *instit. Lacon.*, et CRAGII *libris de republ. Laced.* p. 271. 275.

Officium ergo est omnium, venerari senes et praecipuo quodam honore atque cultu prosequi. Quod quidem fecisse multas immo omnes fere nationes, iam ego sub finem locis aliquot, quae suppeditabant mihi auctores probati, ut et exemplis quibusdam, quae plurimum erunt instar, euincam. Iis igitur, quae antea mihi afferebant ARISTOTELES *Ethic.* IX, 2. PLATO *Dial.* IX. *de legibus et IV. de republica*, PLVTARCHVS *in institutis Lacon.* in *Apophth.* et in *vita Lycurgi et Solonis*, HERODOTVS II. *i. e. Euterpe*, CICERO *Orat. pro M. Coelio* c. IV. *Offic.* I, 34. II, 13. PHOCYLIDES II. N. v. 212. sqq. IUVVENALIS *Satyr.* XIII, 54. sqq. locus ex *Langii itinere*, ista nunc addam, quae sequuntur. Apud *Lacedaemonios* quidem potiori quodam in honore, quam apud alias gentes, habitos fuisse senes, constat. Teste enim PLVTARCHO senibus in theatrum venientibus omnes assurgere solebant, eosque sessum recipere; minores vero via illis decedere, item assurgere de sella, iisdemque praetereuntibus tacere. Affirmat hoc idem XENOPHON apud PLVTARCHVM Tom. II, p. 784. in *diff. an seni sit gerenda respublica?* ipseque PLVTARCHVS in *instit. Lacon.* in *Apophth.* et in *Lycurgi et Aegidis vita*, ut et in *eadem diff.* p. 787. nec minus VALERIUS MAXIMVS IV, 5. *Extern.* 2. AVLVVS GELIVS II, 15. LIVIVS XXXIV, 33. et CRAGIVS *de republica Laced.* p. 270. Diserte NICOLAVS DAMASCENVS in *Historia vniuersali de Lacedaemoniis*: τὰς δὲ γέροντας, inquit, αἰσχύνονται, ἔδεν ἤττον ἢ πατέρας. Vnde fluxit paroemia: In sola Sparta expedit senescere. Ipseque Lysander, ut est apud CICERONEM *de Senect.* XVIII, comm. 63. dicere consuevit: *Lacedaemone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior.* Habetque similia IUSTINVS III, 3. et ab Archelao quodam, aiunt, ad magnificam aliquando coenam vna cum rege poetas fuisse adhibitos, Euripidem et Agathoclem, quorum prior maxime honoraret amaretque Agathoclem, valde tunc senescentem: regi vero scire cupienti causam, et ab Euripide quaerenti, cur senem hunc decrepitum tanti aestimaret, poetam respondisse: iustum est atque honestum, non modo ver diligere hominum proborum, sed et autumnum. Telemachum quoque apud HOMERVM *Odyss.*




*Odysf.* XXIV, v. 507. Vlyffes his monet verbis: *Μη τι καταισχυειν πα-  
 γέων γένος* — Et *HESIODVS Oper. et Dies* v. 183. sqq. queritur de  
 saeculi ferrei vitis, quae inter et hos ponit, non coli a iuuenibus parentes  
 aetate prouectiores, item *THEOGNIS Sentent.* 819. sq. Ed. Kretschm.  
 Et inter *Chilonis*, de septem Graecorum sapientibus vnius, apophthegmata  
 illud memoratur: *γῆρας τιμᾶν*, apud *LAERTIVM* L. I. Quid *Romani*?  
 Scilicet *AVLVVS GELLIVS* II, 15. *Apud antiquissimos Romanorum,*  
*inquit, neque generi neque pecuniae praestantior honos tribui, quam*  
*aetati, solitus: maioresque natu a minoribus colebantur ad Deum*  
*prope et parentum vicem. Atque in omni loco, inque omni specie*  
*honoris priores potioresque habiti. etc.* et *VALERIVS MAXIMVS*  
*L. II. c. I. §. 9.* Teste enim *CALLISTRATO D. de iure immun.* apud  
*Romanos senibus idem fere honos habitus, qui magistratui. PLINIUS*  
*Epistol. L. VIII, Ep. 24. Reuerere, ait, gloriam veterem et hanc*  
*ipsam senectutem, quae in homine venerabilis, in urbibus sacra est.*  
 Et *OVIDIVS Fastor.* V, 57. scripsit:

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,

Inque suo pretio ruga senilis erat.

Hic vero video minime obliuiscendam gentem esse *Persarum*. *Cyrum* enim,  
*XENOPHON Cyropaed.* Lib. VIII. scribit, iamiam moriturum, quum de  
 regno in filii senioris fauorem disponderet, esse legem, dixisse, *Persarum,*  
 senioribus non modo fratribus, sed etiam ciuibus, de via, sedibus, dicendi  
 loco esse cedendum. Honorem summum senibus habitum fuisse a *Iudaeis*  
 eam ob causam, quia cunctorum senior esset *DEVS, contra Apionem* scri-  
 bens asserit *IOSEPHVS. Ac Pharisaei* dicuntur eam senibus reuerentiam  
 praestitisse, vt nunquam auderent eis respondere monentibus aut obloqui.  
*IOSEPHVS Antiquit.* VIII, 2. XVII, 1. Ab *Essenis* pariter talem senibus  
 cultum atque honorem exhibitum fuisse, qualis erga parentes germanorum  
 esse posset liberorum, prodit *PHILO* in libro: *probum virum esse libe-*  
*rum. Tartesios* praeterea hunc in modum senectutem esse veneratos, vt  
 non liceret iuniori contra natu maiorem testimonium dicere, docet *STOBÆVS*  
*Serm.* 42. Et apud *Gades* templum senectuti dicatum eo nomine fuit,  
 quod eam velut rerum magistram reuerabantur. *PHILOSTRATVS de vita*  
*Apollonii.* V. Inter sententias *BEN SYRAE* morales decima quinta est de  
 senum honore, vbi inuenitur in commentario eiusdem sententia haec: *Senem*  
 in domo signum bonum esse, semper honorandos illos, nullo tempore sper-  
 nendos. Inter instrumenta bonorum operum *RENEICTVS regul.* c. IV, n. 68.  
 ponit





ponit praeter caetera illud: senes venerari; atque Basilii amicus EPHREM Tom. III. in *serm. de timore Dei* p. 3. Honora, inquit, senes etc. Cuius rei nostris temporibus exemplum dedit praeclarissimum et magno dignissimum rege *Fridericus II. ille Magnus*, Rex Borussiae, qui ducem suum fenescentem a *Ziethen*, quum viueret, iussit aliquando, se vna cum aulicis omnibus praesente, affidere, quin eidem sellam ipse attulit, et hinc vna cum caeteris adstitit. Quod quidem egregie factum celeberrimus Berolinatum artifex *Chodowiecki* incisum aeri posteris commendauit imitandum. Barbarae quoque gentes huius aetatis, nullo alio, quam naturae, vt videtur, instinctu, seniores honorant. Nam de *Calmuccis* vtitur *PALLAS*, vir literis et itineribus excultissimus, his verbis: *Sie ehren das Alter, gehorchen und dienen den Greisen gern. Wenn junge Leute in Gesellschaft mit alten reisen, so kochen sie, nehmen die Pferde wahr u. s. w.* Vid. *PALLAS Samml. hist. Nachr. über die Mongolischen Völkerschaften.* Francf. und Leipz. 1779. Tom. I, p. 161. De *Indis itinerum historia generalis* Vol. XII, p. 58. in itinere *Frogessii* in Indiam Orientalem narrat istud: *Die Achtung gegen die Alten treiben diese Indianer ausserordentlich weit*; item de *Wodyackiis*, Sibiriae quadam natione, hoc referebatur in *Mercurio Alton.* N. XLI, 1787. *Blos den Greisen und Häuptern der Familie wird ein Vorrang zugestanden.* Cuius quidem instinctus quasi quandam loquelam haudquaquam infeliciter expressit ille, quisquis fuit inter nostrates, poeta sic:


Die Alten ehre stets: du bleibst nicht ewig Kind;

Sie waren, was du bist, und du wirst, was sie sind.

Iam vero haec dicta, quum sufficere arbitrer ad officium atque morem senes honorandi paullo clariori in luce reponendum, nolo, quod esset, si posceretur, facillimum, simili modo plura coagmentare, quae taediosa magis, ambigam, an iucunda sint Vobis, quotquot estis forte ista lecturi, sed potius fauori me Vestro, vt habeatis pro Vestra humanitate commendatum, et iis, quae fortasse minus apte vel apposita, vel expressa sint, ne nimis irascamini, maiorem in modum, vt initio, sic in hac clausula, rogo atque oro.







ponit praeter caetera illud: senes venerari; atque Basilii amicus  
 Tom. III. in *serm. de timore Dei* p. 3. Honora, inquit, senes  
 rei nostris temporibus exemplum dedit praeclarissimum et magnum  
 rege *Fridericus II. ille Magnus*, Rex Borussiae, qui ducem  
 scentem a *Ziethen*, quum viueret. iussit aliquando, se  
 omnibus praesente, affidere, quin eidem sellam ipse attulit  
 caeteris addidit. Quod quidem egregie factum celebratur  
 artifex *Chodowiecki* incisum aeri posteris commendatum  
 barae quoque gentes huius aetatis, nullo alio, quod  
 instinctu, seniores honorant. Nam de *Calmuccis*  
 et itineribus exculitissimus, his verbis: *Sie ehren  
 und dienen den Greisen gern. Wenn iur  
 alten reisen, so kochen sie, nehmen die  
 PALLAS Samml. hist. Nachr. über die  
 Francf. und Leipz. 1779. Tom. I, p. 100.  
 generalis* Vol. XII, p. 58. in itinere  
 istud: *Die Achtung gegen die A  
 dentlich weit*; item de *Wodyach*  
 batur in *Mercurio Alton. N. Y.*  
*ptern der Familie wird eis  
 stinctus quasi quandam loque  
 quis fuit inter nostrates, p*

Die Alten ehren nicht ewig Kind;  
 Sie waren, du wirt, was sie sind.  
 Iam vero haec in sufficere arbitrer ad officium atque  
 morem senes honori in luce reponendum, nolo, quod  
 esset, si posceretur simili modo plura coagmentare, quae tae-  
 diofa magis, unda sint Vobis, quotquot estis forte ista  
 lecturi, sed Vestro, vt habeatis pro Vestra humanitate  
 commendat fortasse minus apte vel apposita, vel expressa  
 sint, ne maiorem in modum, vt initio, sic in hac clau-  
 sula, ro

